Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8454
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

quam mihi minus sanus est homo in hiis quibus accusatur, quam in hiis in quibus non accusatur. Si enim humilior esset macula, et quasi fossam quandam in carne fecisset, manifestum lepre signum et indubitabile dedisset. Pili quoque coloris pristini sunt, quia quantum ad se sue pulchritudinis speciem anima non amisit, quamvis aliorum detractionibus decoloretur. Hunc igitur recludat sacerdos septem diebus et consideret die septimo. Per septem enim dies quod habet temporis spatium intelligitur, in quo ei qui accusatur ad se purificandum indutie dantur. Cuius causa quia adhuc pendet et nondum diffinita est, quasi reclusus et non penitus sue libertatis esse videtur. Septimus autem dies qui omnium ebdomadarum ultimus est, ille intelligitur in quo finitis indutiis tota causa terminari disponitur. In quo videlicet die si accusatores defuerint et manifestis aliquibus inditiis accusatio probari non poterit. Hoc est enim quod dicit: siquidem lepra ultra non creverit nec transierit priores terminos. Cresceret enim lepra et priores terminos transiret, si id quod prius dicebatur verum fuisse postea probaretur. Si inquisita fuerit, rursus includet eum aliis septem diebus, datis videlicet inditiis sicut et prius. Hoc autem ideo fieri puto, ne vel causa indiscussa remaneat, vel accusatores ad terminum prefinitum occurrere non potuisse se fingant. Si vero neque tunc accusatores affuerint, et contemplante sacerdote obscurior lepra videbitur et in cute non creverit, id est si fama que prius clare divulgabatur accusatoribus et inditiis deficientibus conquieverit, mundabit eum quia scabies est. Quid est mundabit eum, nisi mundum esse iudicabit eum? Non enim lepra sed scabies, non crimen sed criminis similitudo fuit. Lavet tamen homo vestimenta sua, et vel iuramento vel alio modo se mundificet, ut qualis est talis etiam esse credatur. Hec autem dei sacerdotibus sepe contingere videmus. Unde non immerito sancti patres sacerdotum accusationes difficiles esse voluerunt. Sequitur:

Quod si postquam a sacerdote visus est et redditus est munditie, iterum lepra creverit, adducetur ad eum et immunditie condempnabitur. Quod quidem tale est ac si diceret: Si post iudicium sacerdotis se non custodierit, certisque inditiis perpetrati criminis lepra apparuerit, iterum ad sacerdotem adducetur et tunc immunditie condempnatus ipsum quoque quod prius mundus esse videbatur amittat.

Plaga lepre si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem et videbit eum. Cumque color albus in cute fuerit et capillorum mutaverit aspectum, ipsa quoque caro viva apparuerit, lepra vetustissima iudicabitur atque inolita cuti. Contaminabit itaque eum sacerdos et non recludet, quia perspicue immunditie est. Hec autem de illius criminis lepra intelligitur, que usu et mala consuetudine tam manifesta est ut celari nullatenus possit. Hic autem accusetur et adducatur ad sacerdotem. Accusatione enim adducitur. Unde et accusatores, quasi qui alios adducant et ferant, delatores appellantur. Et videbit et considerabit eum sacerdos. Cumque in colore in capillis et in ipsa carne viva certissima signa lepre conspexerit, non recludet eum nec ullas ei indutias dabit, sed contaminabit, id est contaminatum iudicabit, quia perspicua immunditia est nec eget ulla probatione. Viva enim caro in leproso indicat quia sciens et sponte peccavit. Coloris vero et capillorum mutatio vetustissimam lepram demonstrat.

Sin autem effloruerit discurrens lepra in cute et operuerit omnem carnem a capite usque ad pedes, quicquid sub aspectu oculorum cadit, considerabit eum sacerdos et teneri lepra immundissima iudicabit, eo quod omnis in candorem versa sit, et iccirco homo mundus erit.

Ecce iterum alia species lepre, per quam insaniam et frenesim intelligimus. Sepe enim insanos et freneticos in scelera ruere videmus, et dum se aliquid boni perdita ratione facere arbitrantur, homicidia quoque et multa alia mala committunt. Hac igitur egritudinis lepra cum totum hominem integrum sacerdos teneri viderit, nichilque sensus et rationis in eo conspexerit, immundissima lepra eum teneri iudicabit, et iccirco homo mundus erit. Quomodo enim a peccato mundus non erit, qui quod facit non intelligit? Non enim talibus de peccatis suis, immo non suis, pena datur, quia ubi non est voluntas peccandi, non debet esse pena peccati. Ideoque quamvis rationem et intellectum inde non amiserint, tamen quasi de insanis et freneticis dominus de eis loquitur dicens: Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt. Et illi quidem nesciebant quia nescire volebant. Hiis autem non voluntas sed egritudo scientiam tollit. Unde et subditur: Quando vero caro vivens